



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

VI. An baptizandi sint infantes?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35233**

## QVÆSTIO VI.

An baptizandi sint Infantes?

**HÆRESIARCH.** Anonymi exiterunt tempore Bernardi, i. fo teste ac refellente, *serm. 66. in Cant. & Epist. 140.* qui præfractè negabant.

Ex **LUTHERANO** factus **ANABAPTISTA** prius Balthasar Pacimontanus, anno 1527. ait *Ochlaus in Actis Lutheri*: negavit quemquam baptizandum ante ætatis annum XXX. Sed rogus eum hausit Viennæ. Contra scripsit Lutherus & Calvinus. &c. Vide *Luthero-caluin. p. 2. q. 23.*

**PAPISTA.** i. Mandatum est Domini, Mat. 19. *Sinite paruulos ad me venire; comprimis baptizandos.* Atque tamen si Anabaptistæ hic tricentur, *Domini humilitatem in statura pueri commendasse*, ut Augustinus loquitur; simul tamen indicavit, infantilem ætatem à cælorum regno haud esse alienam: *Talium enim, tum ætate, tum humilitate, est regnum cælorum, quales scilicet afferebant ad eum infantes.*

2. Orig. l. 5. in Rom. 6. *Ecclesia ab Apostolis TRADITIONEM accepit, etiam paruulis dare baptismum.*

Idem Aug. l. 4. de bap. c. 24. Et l. 1. de pec. mer. c. 26. ait, Pelagianos non ausos fuisse negare baptismum paruulorum; quod viderent nimis aperte pugnandū fuisse cum tota Ecclesia.

3. Ratio suppetit. Quia Infantes salui esse possunt: Mat. 19. *Talium est enim regnum cælorum.*

Sinamque peccati Adæ participes esse queunt; cur non & gratiæ Christi? Atqui extra Ecclesiam non est vlli salus; nam Mat. 12. *Qui non est mecum; contra me est.*

Vnde Cypr. l. de Vnit. Eccl. *Non habet Deum Patrem, qui non habet Ecclesiam matrem.*

Ergo intrent paruuli Ecclesiam oportet. Hoc, nisi per baptismum, facere nõ valent. *Quos enim, Rom. 8. prædestinauit, hos & vocauit, per Ecclesiam: quos vocauit, hos & iustificauit, per baptismum: quos iustificauit, hos & magnificauit, per regnum cælorum.*

Ita Act. 2. *Qui receperunt verbum, baptizati sunt, & apposite sunt anima circiter 3000.*

2. Ratio. Quo minus saluentur infantes baptismò, non est impedimentum.

1. Ex parte prohibitionis diuinæ; Nam Sacramentum pendet ex diuina Institutione.

2. Non à parte *Ministri*, qui tam infantem tingere, quam adultum potest.

3. Non à parte *suscipientis*: in quo adulto fides actualis requiritur: in paruulo non; quia non habens actualem auersionem voluntatis à Deo, non eget actuali conuersione ad Deum vt adultus: nec vltum liberi arbitrij habet, per quod actualiter operetur adhuc, vt adultus; cui dicit Augustinus: *Qui fecit te sine te: non saluabit te sine te.*

4. Non ex parte *Ecclesiæ* ius in baptizatum acquiruntis: hæc enim adiuuat ad salutem multis modis.

## QVÆSTIO VII.

An baptismus verè tollat peccata?

**HÆRESIARCH. I.** ORIGENISTAE sub annum 393. exorti, damnati anno 398. in Conc. Alexandrino,

Dd 3

drino,